Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8328
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

oculis dormire corde vigilare
Et dicit Hugo Sepe oramus
et alibi corde intendimus nec
ipsum quod dicimus volumus. Per istam
oracionem deus non audit cum ipse
qui orat non intendit / et illa
sunt vera secundum Sanctum Thomam
in quarto cum intencio nullo modo
scilicet nec actualis nec virtualis con-
iungitur oracioni // Pro quo notandum
secundum Sanctum Thomam 2a 2e q. 83
et in quarto dist. 14o quod non requiritur
continua actualis attencio ymmo
ad impetrandum sufficit eciam at-
tencio virtualis scilicet quod homo acce-
dat ad orandum cum actuali
attencione et cum actuali in-
tencione impetrandi vitam eternam
aut aliquid aliud pro ut quo-
tunc oracio vult vel cum intencione
impetrandi vitam eternam
deo debitum obsequium reddendo
et si in processu oracionis illa ac-
tualis attencio deficiat et tamen
maneat illa virtualis ita quod oracio
procedat et continuetur ex virtute
prime intencionis tunc sufficit ad
hoc quod oracio sit impetratoria
quamvis in processu mens volens
ad alia rapiatur nisi forte
tanta fiat distraccio ut vis
illius prime intencionis totaliter
deperdat et ideo expedit quod
homo orando cor suum distractum
sepe reducat ad se ipsum de hoc
in plus dicetur post finem ex-
posicionis oracionis dominice Iste sunt
octo condiciones qui cum assunt
oracioni semper est impetratoria consequitur
quod petitur et ex hoc voluit

dominus cum in themate dixit
Si quid pecieritis patrem in nomine
meo dabit vobis Super quo dicit
Gregorius Jhesus salvator sonat
salutaris dicitur ille ergo in nomine
salvatoris petit qui id petit
quod ad veram salutem pertinet
et illud semper accipit si assint
alia que dicta sunt ut audivistis
que tamen non sic requiruntur ad
efficaciam impetrandi quasi nichil
impetretur si aliqua deest
ymmo licet non semper tamen aliquando
oracio exauditur cum aliqua ce-
terarum condicionum ei deest unde
sepe homo exauditur cum non
pro se sed pro alio orat eciam quandoque
peccatores orantes exaudiuntur
dicit enim Augustinus super Johannem
si peccatores non exaudiret deus
frustra publicanus orasset deus
propicius esto michi peccatori ex qua tamen
meruit iustificacionem et in hystoria
scolastica in fine hystorie de hester
recitatur quod alexander magnus
qui gentilis fuit oravit ut filii
decem tribuum includerentur inter
montes caspias et ut ibi dicitur
deus exaudivit cum tamen ad
eius oracionem accesserunt ad instanciam
preruptiva moncium et factus
est locus inmeabilis ita ergo
deus eciam peccatores aliquando audit
non ex iusticia eorum quia pecca-
tores hoc non merentur sed fit ex
dei pia misericordia potissime cum oracio
huiusmodi concordat divino proposito
quandoque eciam peccatores deus exaudit
in ira et ad vindictam ut cum pe-
tunt aliqua secundum desiderium peccati